

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 722

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

201

HERMENEUTICI.

202

Eius in Scherling Austr. super. Praesens ejus Opus praeclari in Job Commentarii Pars I. est definens in Cap. XX. Exponitur praevie uterque etiam Hieronymi Prologus: Cogor per singulos &c. et: Si aut fiscellam &c. Initium ipsius Jobi est: Vir erat in terra bus nomine Job. Sicud visum in preterita lectione de causis 4^o. scilicet materiali formalis &c.

CXXXIII.

U. 121

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 193. 4. praecedenti per omnia geminus est memorati Commentarii Pars II. a Cap. nempe XXI. ad Jobi finem pertinens. Init: Respondens autem Job dixit. Audite queso sermones meos &c. Terminatis verbis Sophar, et per consequens obiectionibus &c. Nota Possessoris, ut supra, et ad caput, et ad calcem adscripta est. Sed ad calcem haec praecedunt: Et sic est finis huius operis. Deo gratias. Anno domini M^o CCC^o 97. sexta die mens. septemb.

CXXXIV.

R. 37 *

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 72. f. per duas columnas, non una manu, sed nitide exaratus, et rubricis distinctus, annoque 1721. Bibliothecae Palat. oblatus a F. Thoma Maria Alfano O. P. qui titulo Theologi et Praedicatoris Caroli VI. Imp. Librisque variis editis celeber, teste J. M. Mazzuchello in Scritt. d'Italia T. I. P. 1. p. 471. diem

clausit Neapoli a. 1742. complectitur: I. M. Aur. Cassiodori Senatoris Scriptoris Sec. VI. Expositionis in Psalterium ex Augustino potissimum congestae tantum, quantum mox edisseram. Praemisit haec Librarius: Diuersas notas more maiorum certis locis estimavimus affigendas. has cum explanationibus suis subter adiunximus. ut quicquid lector uoluerit inquire. per similitudines earum sine aliqua difficultate debeat inuenire. Pinxit itaque XIII. diversas minio Notas, addito ad quamvis titulo, quem subjungo: Hoc in idiomatis. id est. propriis locutionibus legis diuine. Hoc in dogmatibus ualde necessarijs. Hoc in definitionibus. Hoc in schematibus. Hoc in etemologicis. Hoc in interpretatione nominum. Hoc in arte rhetorica. Hoc in topicis. Hoc in silogismis. Hoc in arithmetica. Hoc in geometrica. Hoc in musica. Hoc in astronomia. Notae hae, ut videtur, omnia Cassiodori Opera respicere debent, sed in nostro Codice jam ad v. 3. Psalmi I. in his verbis: Bene ut arbitror ligno fructifero comparatus est dominus christus, abrumpuntur. Praefatio hoc rubro est: In christi nomine incipit prefatio expositionum in psalterium. Initium: Repulsis aliquando in rauenati urbe sollicitudinibus &c. Lectio ipsa cum edit. Garetii Rotomag. 1679. T. II. p. 1. f. optime concordat.

II. fol. 9. sequitur alia manu: Disceptatio synodal is inter Regis aduocatum et romane ecclesie defensorem. Προσγυμνασμα est Petri Damiani

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 722

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

203

C O D I C E S

204

Damiani ex O. S. B. Cardinalis et Ep. Ostiensis Scriptoris Sec. XI. ad Concilium Augustanum, sive Augsburgense celebratum a. 1062. pro Alexandro II. Pont. contra Cadolam Antipapam, cui favebat Agnes Aquitannica Henrici IV. Imp. tunc pueri mater, quod Concilium Exteri, ut solent nomina nostra deformare, Osboriensis, Osboritanum, du Château d' Osbor appellant, Codice nostro illud minus saltem corrupte Homborgense dicente. Extat Opp. Petri Dam. Edit. Paris. 1664. T. III. Quartum inter Opuscula p. 21. f. item T. II. Monarch. S. R. J. Goldasti p. 45. et in Harzbemii Concill. Germ. T. III. p. 128. Momentum disceptationis in eo versatur, utrum quis non petito Imperatoris assensu Pontifex Rom. eligi possit. Itaque dialogo agitur, Advocato Regis herbam demum porrigente. Verba, quae in Editis scenam aperiunt: Sed ad haec gloriaris et jactas non habet Codex, sed incipit: Rex me et imperatrix mater elegit, ad hunc apicem me regia celsitudo prouexit, quae Cadolai sunt. Ceterum lectio cum editis conspirat.

III. fol. 14. p. 2. Sandio casinensi monasterio de quibusdam miraculis. Est ejusdem Petri Dam. Opusculum XXXIV. T. III. p. 256. inscriptum: Domno Desiderio archangelo monachorum ac ceteris sandis fratribus. Distributio in IX. Capita recentior est Codice, qui censet XVI. Cetera consonant.

IV. fol. 18. Quomodo rationalis anima ad perfectionem ueniat.

Quomodo etiam spirituale sabbatum colat. Est Epistola in Edit. T. I. Lib. 1. Quinta p. 27. ibi inscripta Genuino Sedis Apostolicae Hildebrando; nobis vero Alfano archiepiscopo et abbati desiderio. Meminit Petrus Alphani Archiep. Salernitani Lib. 8. ep. 5. Initium: Vulgare est, Dilectissimi. quia locupletes &c. Decurrit cum editis usque ad verba circa finem: suspeta semper et uaga curiosa. anxia, post quae in diversum ita abit: compellitur. ut ad locum unde remigare ceperat iterum relabatur &c. definitque in allegoriam navigationis et profectus Animae, e qua patet, Librarium ex uno Petri Opusculo incurrisse in aliud, quod sequitur.

V. fol. 20. De Bono religiosis Status, et variarum Animantium Tropologia. Ita inscribitur edit. suprac. T. III. p. 350. Opusculum LII. quod in nostro Codice ακεφαλον a verbis mox citatis: compellitur, ut ad locum &c. incipit. Sunt haec verba Cap. XII. De Sarra sive Serra pisce, atque ab iis Tractatio inoffenso pede, quamvis in alias divisa rubricas, decurrit usque ad finem: virtus ac potentia creatoris. Similis argumenti sunt Libri III. de Bestiis inter Hungonis Victorini Opera, et Theobaldi cuiusdam Physiologus metricalis de Naturis Animalium, quae omnia post Epiphanium.

VI. fol. 27. Archangelo monachorum Desiderio &c. Non ignorare te patior &c. Est edit. suprac. T. III. p. 251. Opusculum XXXIII. ibi inscriptum de Bono Suffragio-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 722

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

205

HERMENEUTICI.

206

giorum et variis Miraculis, praesertim B. Virginis.

VII. fol. 32. *P. damiani epistola ad cluniense monasterium missa.* Init: *Uere sanctis et angelica ueneratione colendis cluniacensis monasterij fratribus &c. Nolo uos lateat &c.* Edit. cit. T. I. p. 82. Lib. VI. Epistola V.

VIII. fol. 35. p. 2. *Epistola P. damiani de incontinentia clericorum. Ad taurinensem episcopum missa.* Init: *Domino Cuniberto &c. Hec est uere caritatis &c. et est Dissertatio II. Opusculi XVIII. edit. cit. T. III. p. 173.* Ita enim Constantino Cajetano editori plauuit.

IX. fol. 43. *Hic taurinensem episcopum cum clarissima duce confederat. ut precipiti clericorum luxurie iniucem se munientes occurrant.* Est *Dissertatio III. Opusculi mox dicti p. 181.* et incipit: *Ad laidi excellentissime duci &c. Quidquid de castitatis iniuria &c.*

X. fol. 46. p. 2. *Bisuntino archiepiscopo. laudat sepulturam (i.e. tumulum sibi vivo) in vita hominis fieri, et inter diuine laudis officia in ecclesijs non sedere.* Est T. III. cit. p. 190. Opusculum XXX-IX. hoc initio: *Domno V. reuerentissimo. &c. Non ignores uenerabilis pater &c.*

XI. fol. 49. *Vt auaricie resistatur, et dum cuique succurritur, munerum retributio ne queratur.* Initium: *Cardinalibus episcopis apostolice sedis. &c. Sicut uerba presentibus indicia sensuum &c.* Opusculum XXXI. contra Simoniam edit. cit. T. III. p. 236.

XII. fol. 54. p. 2. *Insolentia malignorum hominum facta conqueritur que nunc atrocius in mundi fine (graffantur) crassatur.* Initium: *Domno A. (Alexandro II.) summo (ae) sedis antistiti &c.* Redditas mibi sanctitatis uestre litteras &c. T. I. edit. cit. p. 11. Lib. I. Epistola XV.

XIII. fol. 59. *Cur papa non diuitijs uiuat. et quod hominum usibus queque creatura deseruiat.* Initium: *Domno A. (alexandro) summe sedis antistiti &c.* Quia reduntem te uenerabilis pater &c. T. III. p. 208. Opusculum XXIII.

XIV. fol. 62. p. 2. *Epistola ad petrum lateranensem archipresbiterum contra clericorum lasciviam inuectiva.* Initium: *Domno Petro &c. Tantum ualeat iaculum quanta uirtus est bellatoris. &c.* T. III. p. 168. Opusculi XVIII. *Dissertatio I.*

XV. fol. 67. *Dilectis in christo ciuibus florentinis &c.* Nuper ut recolitis dilectissimi ad uos uenientes &c. T. III. p. 232. Opusculum XXX. De Episcopo Simoniae insimulato. Extrema: *Catulus compellatur uaubare (baubari, Βαυβαρι, latrare) sub diuo; pro quo in edit. naubare, cui ἀλογῷ mederi volens. Cajetanus adjecit in margine f. cubare.*

XVI. fol. 70. *Quantam salutem conferat elemosina.* Initium: *Domno Mainardo arbinati (Urbinati) uenerande sanctitatis episcopo &c.* Qui sub estiuo meridiatur umbraculo &c. T. III. p. 85. Opusculum IX. Deficit Codex in hisce verbis: *sed semper indigere misericor-*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 722

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

207

C O D I C E S

208

ricordia — —. quae habentur in edit. Cap. III. Itaque plus quam V. *Capitibus* multatus est, cetera probae et cum **Editis** conspirantis electionis.

CXXXV.

R. 489 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 204. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis distinctus est, ut e calce petendum, *Magni aurelij cassiodori senatoris* jam domino prestante conuersi exposicio psalmorum. Tò Conuersi ex aevi usu jam Coenobium Vivariense, quod ipse construxerat, ingressi intellige. Prima hujus Operis Pars, nescio, quod fatum habuit; altera enim praesens incipit: *Psalmus 91. Psalmus cantici in die Sabbati*, atque hinc usque ad Psalterii finem integre decurrit. Initium est: *Psalmus cantici commonet nos vt in uniuersis aëribus nostris divinitati gratias referre debeamus &c.* Lectio, si cum editione Opp. omn. Garetiana Rotom. 1679. T. II. p. 311. conferatur, proba est demtis levibus quibusdam differentiis, puta sub ingressum opera spiritualia pro operas spirituales, omnem viam suam pro vitam, obseruancias eius pro obseruantiam, opera nostra pro operatio nostra, iudicatur adiungens pro videatur &c. sed mox lapsus est Librarius quia trinitatem diuinam pro quaternitatem diuinam scribendo. In calce haec notavit ad historiam: *Temporibus Justiniani Augusti Cassiodorus apud Vrbem Romanam claruit. Hic primitus con-*

sul, deinde senator, ad postremum vero monachus extitit. Hoc etiam tempore dyonisius (Exiguus) abbas in vrbe constitutus pascalem calculum composuit, tuncque apud constantinopolim Priscianus grammaticae artis profunda rimatus est, tunc quoque nichilominus arator Romane ecclesie subdyaconus apostolorum actus versibus exarauit. Hec itaque in longobardorum gestis scripta sunt. Ita sane, sed paullo uberioris, apud Paulum Diacon. L. I. c. 25. in Muratori Scriptt. Rer. Ital. T. I. p. 421.

CXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 128 Folior. 318. f. max. per duas columnas probe et diligenter exaratus, rubricisque insignis, quem fronte teste, Collegio Ducali quondam dedit Honorabilis Vir Dominus Johannes Beyzz de Franleytten oppido Styriae, complectitur vastam Psalterii et Canticorum Biblicorum Expositionem, cuius Autorem demum manifestat Clavula miniata Operis, quae sic habet: *Explicit Glosa solemnissimi Doctoris Honorij (Augustodun.) solitarij super Psalterium a Johanni Presbitero Cappellano in Rupprechzhofen scripta ibi idem Anno ab incarnationis domini Millefimo Quadrageentesimo Quarto. In die Sixti pape. Deus propicius esto mibi peccatori. Cum mox memoratus Pagus ad Carthusiam Gemnicensem infer. Austriae pertinet, et Bern. Pezius T. II. Thes. Anecd. col. 95. Expositionem seleto-*